

Animal descriptum præsertim affine videtur *M. pyramidum* GEOFFR. et FR. CUV., sed cranium nimis differt ab icone, a FR. CUV. l. c. edita, ubi laminae antezygomaticæ breves, tantum $\frac{1}{3}$ rostri æquantes, et ossa nasi multo breviora sunt, etsi cranium delineatum evidenter animalis adulti est. Dentes quoque longe discedunt: præsertim in eo, quod dens anticus superior tuberculum postremum multo latius habeat quam dentem medium.

A *M. robusto* RÜPP. differt auriculis non acutis et rostro multo productione, sed mensuræ fere eadem videntur. Tandem a *M. lybico* (melanuro RÜPP.) differt statura majore, cauda et pede postico longioribus, auriculisque aliter formatis.

d) *Meriones crassus* n. sp. pallide fulvescens, vellere quoque laterum basi cinereo; cauda brevior; planta brevi.

"Habitat in deserto Sinaitico, ad vias circa fontes Mosis, ubi cuniculos multiformes fodit. Nocturnus, prædatur ante lucem." (HBG. in schedula, cum specimine unico missa).

Mas vetus. Longitudo ultra 5 pollicaris (circa 140 mill.) + cauda præter pilos 88; planta c. u. 32; ad aures 38; ad oculos 18. — Statura crassa et caput breve, crassum fere *M. indici* et sp. reliquarum ex Asia; sed præterea formæ, usque in minimis conveniunt cum formis priorum. Dentes primores simillimi eorum, antice flavi. Rhinarium, breviter pallide pilosum, non minus prominulum quam in *Mure sylvatico*. Aures latius oblongæ, apice rotundatæ, longit. parum ultra $\frac{1}{3}$ totius capitis, margine antico pilis longis, densis, albidis ciliato (quod in prioribus non observatur). Digiti postici laterales paullo longiores quam in sp. prioribus: externus præter unguem æquat pha-

langem 1:am d. proximi; internus parum brevior, apice unguis superat phal. 1:am sequentis. Planta posterior, subtus sparse, breviter, adpresse albido-pubescens, brevior quam in reliquis sp. hujus generis.

Vellus corporis longum, densissimum, mollissimum, sat simile Dipodum. In eo a præcedentium differt, quod omne vellus coloratum, etiam laterum, basi cinereum sit; sed vellus gastræi totum album. Corpus superne pallide griseo-flavescens, ex apicibus brevibus, fuscis, paullo nebulosum. Macula obsoletior pone oculos, et parva pone aures sordide albidæ. Pedes albi. Aures pallidæ. Cauda crassa, pilis densis, non brevibus, sat crassis et rigidis, colore corporis, tecta; pili ejus supra apicem elongati, nigri; ipse vero apex habet penicillum brevem, album, a pilis nigris obtectum.

Cranium (fig. 4) a reliquorum differt tympanis maximis, pone occiput prominulis, ut in Dipode; osse zygomatico margine postico reflexo, et, ad frontem, pro laminula ossis lacrymalis, non inciso. Foramina palatina parva, e medio dentis 1:mi ad medium 2:di extensa. Reliqua vides in icone.

Inter species cognitæ hæc proxime affinis videtur *M. meridiano* PALL., qui in Pallasii Nov. sp. Glirium *Mus longipes* dicitur. Hoc vero nomen differentiam indicat, nam pedes postici ratione corporis longiores sunt, et subtus dense villosi. A *M. indico* facilius distinguitur colore et cet., et a *M. Burtoni* FR. CUV. abunde differt colore alio, pilis caudæ et cet.